

prædestinatio non est imperium.

XXXVII. Confirmatur, quia imperium solum potest movere aut morali vi, aut physica. Morali, sicut cum unus homo imperat alteri proponendo ei determinationem et obligationem superioris: physica, sicut Christus dicebatur imperare ventis et mari, et Deus rebus insensibilibus, quia videlicet illas transmutat, aut producit, sed neutro modo prædestinatio movet neque ipsum Deum, neque creaturas: ergo non est imperium. Minor probatur; nam respectu ipsius Dei non datur motio ista moralis, et multo minus physica, quæ est immutativa ex uno ad aliud, quod in Deo non habet locum. Nam moralis motio fit ex parte objecti aut finis, fit ad potentiam ut moveatur ad actum habendum, et si sit imperium aut oratio, supponit aliquid superius, et inferius: Deus autem nullo modo movetur ab objecto quod vult per imperium, quia est objectum creatum: a creatura autem non movetur Deus, nec a fine qui est sua bonitas, quia actus divinæ volitionis non ordinatur in finem cum sit ipse finis, et ipse Deus, nec applicatur ad usum, quia Deus non applicat se, nec utitur se, nec fit ad potentiam sive volitivam ut velit, sive executivam ut faciat, quia istæ potentiæ semper sunt in actu, et non indigent motione ut eliciant. Nec est ibi inferius et superius, ut jam diximus, ut patet, quia Deus non potest orare seipsum etiam secundum virtualementem distinctionem actuum, et decretorum: ergo neque imperare sibi, quia ejusdem rationis est imperare, et orare; illud ex parte superioris, hoc ex parte inferioris. Si vero prædestinatio dicatur imperium non erga actus divinos, sed erga ipsos prædestinatos, contra est, quia si hoc imperium sumatur pro præcepto, et lege obligante ipsos, quod est moralis

motio, hoc æque datur prædestinatis, et reprobis, quia lex omnibus est posita: ergo ex hac parte prædestinatio non magis erit imperium quam reprobatio, nec imperium ipsum ut sic, prædestinatio magis erit quam reprobatio. Si vero sumatur pro immutatione physica Dei in ordine ad beatitudinem, hæc est executio, et respondet potentiæ executivæ, non imperium, nisi metaphoricè.

XXXVIII. Respondetur imperium hoc, prout est ordinatio ad exequendum intelligi tum in ordine ad ipsum Deum, tum in ordine ad ipsos prædestinatos. Sed in ordine ad Deum non intelligitur hoc imperium ex parte ipsorum actuum, seu ex parte subjecti imperantis et imperati, sed ex parte objectorum, ex quorum variatione distinguimus in Deo decreta, seu actus ordinativos, non ex parte ipsius subjecti. In ordine autem ad prædestinatos intelligitur imperium cum omni rigore, etiam ex parte subjecti, et actuum, quæ diversitatem habent in Deo, et in prædestinatis. Cum autem dicitur, quod Deus sibi non imperat, nec habet actum per elicentiam a potentia, et sic non est capax imperii, concedimus antecedens, et distinguimus consequens: non habet imperium cum distinctione actuum, vel potentiarum ex parte subjecti, quæ est distinctio actualis, et formalis, concedo; cum distinctione virtuali ex parte objectorum, eo modo quo distinguimus decreta in Deo, nego. Quando enim in Deo ponimus intentionem, electionem, imperium, et similia, non distinguimus istos actus formaliter ex parte subjecti (hoc enim esset destruere Deum) sed virtualiter ex parte objecti, et ponimus prædestinationem in illo actu, quatenus tangit objectum correspondens imperio, id est, ad executionem ordinabile, non quatenus

tangit objectum correspondens intentioni, aut electioni, et hoc fit sine superioritate aut inferioritate ex parte Dei, sed cum superioritate aut inferioritate ex parte objectorum. Ad id vero quod dicitur de imperio in prædestinatos, respondetur quod licet prædestinati non sint in se existentes sub propria mensura ab æterno, sunt tamen capaces imperii æterni ut explicandi et exequendi in tempore. Nec enim imperium Dei supponit, quibus imperet, sed imperando facit, quia omnia imperio suo efficit. Unde per imperium quod ab æterno est in mente imperantis, et in tempore habet executionem suam, potest Deus imperare his qui non existunt ab æterno, sed in tempore executive producentur, quia imperium tunc requirit existentiam imperati quando fit executio, non quando mente concipitur imperium; Deus enim vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt; et lex quæ ponitur in populis ad omnes extenditur, etiam qui postea nascentur, licet non executive obliget illos, nisi quando sunt. Et ad illud de relatione dominii et creatoris, respondetur quod dominium pro relatione non denominat Deum nisi posita creatura, ex cujus immutatione nascitur illa relatio, sicut et relatio creatoris. Cæterum imperium non est denominatio relationis, sed actus immanens ex parte imperantis, qui potest esse æternus, licet executio sit in tempore. Unde sicut dominium pro potestate, et creatio pro actualitate actionis sunt ab æterno in Deo, sed pro relatione dominii aut creatoris in tempore denominantur ex immutatione creaturæ: ita imperium pro actu immanente est æternaliter in Deo, pro executione in subditos et relatione subditorum ad se fit in tempore, quando ipse dixit et facta sunt, licet mentaliter dicere æternum fue-

rit, et ordinatio illa intra Deum æterna sit.

XXXIX. Ad confirmationem respondetur, quod respectu Dei non datur imperium pro motione sive morali, seu physica ex parte subjecti et operationum, sed virtualiter virtualitate orta ex parte objectorum diversorum, in ordine ad quæ distinguimus intentionem, electionem, et imperium, et alia quæ in nobis actus diversos postulant. Itaque sufficit ad ponenda ista in Deo quod objecta inter se ordinantur et connectantur ex divino decreto et ordinatione: sic enim inter ipsa ponitur seu resultat sufficiens ordo et efficacia ex uno sic volito et decretato ad aliud sic ponendum et ordinandum, et in actu quatenus istas diversas connotationes efficit, resultat illa denominatio imperii, quod respectu sui non exercetur, nisi virtualiter virtualitate desumpta ex connotatione objectorum. Et sic nec Deus utitur seipso, nec movet suam potentiam ab objecto creato, nec est finis ad quem ordinatur suus actus ut quid causatum et subordinatum fini, quia nos ex parte actuum, et subjecti non ponimus subordinaciones et imperium formaliter, sed virtualiter ex parte objectorum ponitur distinctio; respectu autem personarum ad extra formaliter habet Deus rationem præcepti et imperii. Ad id vero quod dicitur de inferioritate, et superioritate, jam dictum est quod hoc ponitur ratione objectorum diversorum, non ratione diversorum actuum in Deo. Cum vero instatur in ipsa oratione, dicitur quod oratio nec etiam virtualiter, et secundum connotationem diversorum objectorum potest poni in Deo sicut ponitur actus imperii ob duplicem rationem. Primo quidem, quia oratio est inferioris, non quomodocumque, sed indigentis: postulatur enim id quod deest, et non

est in manu propria habere: quod enim non deest, frustra petitur, Deus autem nec virtualiter est indigens, et in manu sua non habens: imperium autem est ordinatio, et motio efficax, et nullam supponit indigentiam, quia si quid deest imperato, ipso imperio dari potest; nullum etiam inconueniens est quod aliquis moveat seipsum, et ordinet de seipso, semotis imperfectionibus diversitatis, et multiplicationis actuum. Secundo, quia imperium cum sit actio superioris, maxime decet Deum, et licet non exerceatur nisi virtualiter, et secundum connotationem objectorum in ordine ad actus proprios Dei intra se, invenit tamen quomodo exerceatur in ordine ad alios extra se formaliter, et ideo salvatur simpliciter imperium in Deo. At vero oratio non invenitur quomodo salvetur in Deo respectu aliorum extra se formaliter, quia non habet superiorem respectu cuius formaliter exerceatur, et ideo cessat etiam oratio virtualis absolute loquendo.

XL. Ad id quod objicitur contra rationem imperii erga prædestinatos, respondetur quod attinet ad motionem moralem, eam non solum consistere in impositione legis, quæ communis est reprobis, et prædestinatis, sed in ordinatione, et directione ad impletionem legis, ad quam Deus movet prædestinatos etiam excitatione morali, et aliis opportunis auxiliis tum physicis, tum moralibus, quibus non movet reprobos usque ad finem. Et ad hanc impletionem movet Deus per imperium ordinando, et disponendo quod ita fiat ut prædestinatus debito modo excitetur, et moveatur moraliter efficaci executione. Quod vero dicitur de imperio physice, et immutante physice, dicimus quod licet executive pertineat ad potentiam exequentem, directive tamen, et

regulative ad potentiam ordinantem hanc executionem, et hoc fit per imperium.

XLI. Tertio argui potest argumentis probantibus non dari in nobis actum imperii efficacem efficacia participata ex aliquo actu voluntatis præcedente, sed sufficere actum intellectus, qui antecedit electionem cum voluntate postea subsequuta. Sed hæc quia tangunt actum imperii, non prout in Deo, sed prout in nobis, remittimus ad locum ubi hæc difficultas tractanda est sub 1-2, q. xvii. Modo enim id supponitur.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum prædestinatio, et providentia Dei sint prædefinitivæ nostrarum actionum?*

Etsi plura de hoc puncto supra tractata sint disputatione quinta, agendo de efficacia divinæ voluntatis, quæ non potest esse efficacia antecedens nostras voluntates, et independens a consensu futuro, ut præsupposito, sed solum ut causato, et subsecuto, nisi sit prædefinitiva earum, tamen in præsentem oportet specialiter explicare quomodo ista prædefinitio inveniatur, vel non inveniatur in prædestinatione, et providentia Dei, præsertim erga actus liberos, et contingentes, in quibus major de divina providentia difficultas est.

#### NOMEN PRÆDEFINITIONIS, ET PUNCTUS DIFFICULTATIS.

I. Solent pro eodem accipi apud patres, et theologos prædestinatio, præordinatio, prædefinitio, loquendo de prædestinatione, non pro sola electorum providentia, et transmissione ad gloriam, sed in lata significatione pro omni eo quod

Deo præordinatur et disponitur ab æterno ut fiat. Qua ratione dixit Christus Dominus, Lucæ xxii: *Filius hominis secundum quod definitum est vadit*; quam utique definitionem incommutabiliter in Deo præcessisse, et sic prædefinitam esse Christi Domini passionem, optime expressit S. Leo papa, serm. vii de passione: « Nec ulla, inquit, poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula, et misericorditer erat dispositum, et incommutabiliter præfinitum. » Et communiter sancti has prædefinitiones in Deo etiam circa bona opera, et actus voluntatis nostræ deducunt ex illo Ephes. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*. Quam præparationem esse Dei prædefinitionem, et ex ipsius dono et beneficio procedere docent patres. Nam auctor commentariorum in epistolas Pauli apud Athanasium (habentur in antiquioribus exemplaribus Athanasii, non in excusis de novo) super hunc ipsum locum: « Hæc, inquit, paravit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti quin peragantur tamquam divinitus sint prædefinita quousque sit procedendum, idque per multam erga nos providentiam. » Et S. Prosper in responsione xiv ad capita Gallorum: « Fidei, inquit, et charitatis opera, quæ fuerunt prædestinata, recte prædefinita dicuntur auctoritate Apostoli: *Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus, etc.* » Quod desumpsit ex Augustino lib. de prædestinatione sanctorum, c. x, et ex illis postea S. Fulgentius lib. i ad Monimum, c. xxix, et S. Leo papa in epistola lxxxvi, ad Nicetum: « Omnis, inquit, bonorum operum donatio, divina præparatio est, nec prius quisquam virtute justificatur, quam gratia. »

Luculenter ante omnes hos patres expressit harum prædefinitionum

vim S. Dionysius c. v de divinis nominibus, loquens de divinis exemplaribus seu ideis, quæ non operantur efficaciter, nisi adjuncta voluntate. Dicit « Exemplaria dicimus existentium rationes substantificas, et singularitates præexistentes, quas theologia prædefinitiones vocat, et divinas, et bonas voluntates existentium prædeterminativas, et factivas, secundum quas substantialis essentia omnia prædefinit, et produxit. » Scio aliquos hæc Dionysii verba velle traducere, et ad aliorum versionem appellare, in quibus dicunt non ita haberi ista verba, scilicet in versione Carthusiani, et Ambrosii Florentini. Sed frustra: nam ea verba Dionysii, et prædefinitiones ab ipso positas admittit D. Thomas et S. Joannes Damascenus, nec aliquid minuunt translationes citatæ. D. Thomas lect. iii, super hoc caput v de divinis nominibus, ea verba sic ponit ut relata sunt, et dicit quod: « Hujusmodi rationes Scriptura sancta vocat prædefinitiones seu prædestinationes, Rom. viii: Quos prædestinavit, hos et vocavit. Quæ quidem prædefinitiones, et voluntates sunt distinctivæ entium, et effectivæ ipsorum, etc. » Et Damascenus orat. i de imaginibus: « Has, inquit, imagines, et hæc exempla prædefinitiones appellat sanctus ille Dei munere divinis in rebus considerandis, et explicandis excellentissimus Dionysius. Omnia enim ab illo prædefinita et sine ulla commutatione futura, in ejus consilio erant expressa, etc. » Nec mirum quod ideas, quæ ad intellectum spectant, sic per prædefinitiones explicent hi sancti, quia loquuntur de idea, ut practica et efficaci, quod sine decreto, et voluntate divina stare non potest. Versiones Carthusiani, et Florentini in substantia non discrepant. Nam primus loco prædefinitionum ponit prædesti-